



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XCVII. De Rescriptis executioni mandandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XCVII.

De Rescriptis executioni mandandis.

REdeunti in patriam Juvenali post absoluta Romæ in Collegio Germanico sua Studia Theologica vult Papa Canonatum, quem antea promiserat, conferre; ideoque mandat Vicario Episcopi A. ut Canonatum tunc vacantem, eidem Juvenali conferat, eundemque, cum primùm advenerit, in actualem ejusdem possessionem immittat. Juvenalis acceptis litteris quàmprimùm Româ discedit, sed mox altero à suo discessu die inaudit, Pontificem defunctum esse, & post suum in patriam adventum etiam Vicarium Generalem Episcopi A. eique in officio successum esse Ambrosium Canonicum, cui proin litteras Pontificias porrigit executioni mandandas, sed hic eis lectis dubitare incipit, an id à se præstari possit.

QUÆR. I. An, & quando Rescriptum gratiæ, & Justitiæ cum morte delegantis expiret?

QUÆR. II. Es an, & quando cum morte delegati, aut finito ejus officio?

QUÆR. III. An Ambrosius Successor defuncti Vicarii Generalis Episcopi A. Commissionem Pontificiam illi factam exequi potuerit?

QUÆR. IV. An Vicario amoto, vel mortuo commissioeui illi factam exequi possit ipse Episcopus, vel Vicarius Capituli sede vacante?

573 **A**Nte resolutionem 1. Q. notandum est, alia esse Rescripta Gratiae, alia Justitiæ, alia Mixta, seu quæ gratiam simul, & Justitiæ continent, ut si executori mandetur, ut v. g. conferat

ferat Beneficium, & simul ei detur potestas compellendi resistentes. Rescripta *Justitiæ*, sive ad *lites* dicuntur, quæ ad Justitiæ administrationem referuntur, faciendam ferè secundùm Jus commune, ut quando Papa cognitionem causæ ad se delatæ committit Judicibus delegatis. Rescripta *Gratiæ* vocantur, quibus ex liberalitate Principis aliquid præter vel contra Jus commune conceditur, ut sunt, quæ expediuntur super Beneficiorum resignationibus, collationibus &c. Hæc Gratiæ Rescripta rursus alia sunt gratiæ jam factæ, & alia gratiæ faciendæ. Rescriptum gratiæ jam factæ, dicitur, quotiescunque facultas, seu licentia alicui in ipsiusmet favorem à superiore concessa, est, quamvis mera executio interdum ab alia adhuc persona dependeat, v. g. si ipse Pontifex Romæ certum Beneficium alicui conferat, quod tunc vacat, vel proximè vacaturum est; ipsam verò realem executionem hujus collationis, seu ipsam installationem alteri mandat, v. g. Episcopo, Vicario generali &c. Rescriptum gratiæ faciendæ dicitur, quando illi, in cujus favorem gratia tendit nihil directè datum, aut concessum est à Principali, sed alteri mandatur, ut talem gratiam illi conferat, tunc enim nondum est gratia facta, sed mera commissio, & mandatum fa-

ciendi, v. g. si non ipse Pontifex Beneficium conferat, sed ipsi Episcopo mandat, ut incertum quoddam vacans, vel vacaturum Beneficium alicui conferat, Rescriptum erit gratiæ faciendæ, utpote quod ex parte Papæ nullam continet collationem, sed merum imperium conferendi, ac providendi. Hoc notato.

R. Ad 1. Q. Gratia jam facta, seu Rescriptum gratiæ factæ per 574 mortem concedentis, etiam re integra, non expirat; secùs verò si Rescriptum habet rationem gratiæ faciendæ. tunc enim si, re adhuc integra, concedens moriatur, Rescriptum gratiæ faciendæ extinguitur. Ita communis, & certa DD. regula cum, & apud Palaum *tr. 3. de Rescript. D. 4. §. 4. Sanch. l. 8. D. 28. n. 87. Molin. tr. 5. D. 19. Navar. cap. 27. n. 253. vers. 9. & l. 1. Consil. in 2. edit. consil. 2. de Offic. d. leg. Sà. V. gratia. Bonac. de LL. D. 1. q. 3. p. 8. §. 1. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. Colligitur id ex cap. si super gratia de Offic. deleg. in 6. & cap. si cui nulla de præbend. in 6. Ratio discriminis est; quia in priori casu de gratia jam facta, obtinens Indultum, aut Rescriptum jam acquisivit jus ad rem sibi concessam, nec res est amplius integra: In posteriori autem casu, nullum est adhuc illi jus acquisitum, cum Rescriptum sit de gra-*

gratia primùm facienda, quod proin, re integra, morte concedentis expirat.

Neque obstant hinc *l. mandatum, C. mandati. & cap. relatum de Offic. deleg.* ubi habetur, quòd mandatum morte mandantis expiret. Neque *cap. cirt. si cui nulla &c.* Nam ad primum R. cum *cirt. DD.* expirare quidem mandatum morte mandantis, quando non est gratiæ jam factæ annexum; secùs verò si sit annexum gratiæ factæ, & datum sit duntaxat pro illius executione. *Cap. quoque si cui nulla,* loquitur de casu, quando non pro certo beneficio, sed incerto, & posito in electione mandatarii conceditur mandatum; quia tunc non videtur gratia facta certa, & determinata, sed facienda; imò ut notant *cirt. DD.* ibi non loquitur, quando datur propriè mandatum, sed solùm licentia, & facultas; quia tunc executor non est necessarius, sed voluntarius, ac proinde cessat morte concedentis re adhuc integra,

575 Ex dictis colliges, quando Papa mandat Episcopo, Vicario Generali &c. ut Beneficium conferat determinato Clerico, ut factum est in posito casu cum Juvenali, mandatum non expirare cum morte concedentis Papæ; quia tale mandatum, seu Rescriptum est de gratia, non faciendâ, sed jam factâ, & talis

Clericus ex eo mandato acquisivit jus ad rem ad tale Beneficium, quod jus maxima gratia reputari debet, ac proinde non cessat morte concedentis, re integra.

Ad potestatem delegatam ad li. 576
tes seu ad litteras Justitiæ exequendas quod attinet, communis pariter, ac certa est DD. regula, Jurisdictionem hanc expirare, quando moritur concedens, re adhuc integra, hoc est, antequam delegatus cœperit uti jurisdictione, secùs autem si res non sit amplius integra, seu si Judex cœperit jurisdictione uti exercens aliquem actum judiciale. Prius de re adhuc integra, habetur expressè in *cap. Gratum, cap. Relatum, & cap. Licet undique de Offic. deleg.* Et ratio est, tum quia tunc non est gratia, vel favor, sed quoddam mandatum de Justitia administranda; mandatum autem expirat morte mandantis re integra. *leg. Mandatum cirt.* Tum quia per actum delegationis non transfertur efficaciter jurisdictione in delegatum, donec ea uti cœperit, uti expressè habetur *cap. quamvis de Offic. deleg. in 6.* Cum igitur jurisdictione, re integra, sit cum effectu penes delegantem, prout exprimit *cirt. cap. & per ipsius mortem extinguatur sua jurisdictione, extinguitur quoque jurisdictione delegata.*

Poste.

Posterius colligitur à sensu contrario ex citt. *cap. quamvis*, quia per jurisdictionis exercitium ante delegantis mortem, jurisdictio jam radicatur in persona delegati, ita ut efficaciter in eum transferat; atque ideò hæc delegata jurisdictio morte ipsius delegantis non extinguitur, quando res non erat integra, sed ipsâ uti jam cœptum est.

Idem affirmant Gloss. *cap. Licet undique &c.* Abb. ibi n. 7. Imola n. 9. Bald. n. 8. Sâ V. *delegatus n. 3.* alique plures cum cittis, de terminatione Officii delegantis, videlicet sicut morte delegantis, re integra, perit jurisdictio delegata, ita hanc perire finito Officio delegantis re integra, quia ratio supra insinuata æquè procedit in utroque eventu & cum finito Officio perinde extinguitur jurisdictio, ac morte naturali, re integra existente; Limitanda tamen est hæc doctrina, ut notant citt. DD. nisi jurisdictio delegata sit accessoria gratiæ jam factæ, tunc enim imitatur naturam sui Principalis, atque ad eò sicut gratia facta non perit morte concedentis, re integra, ita nec ea potestas accessoria, uti expressè definitur *C. si super gratia de off. deleg. in 6. de potestate executori data ad exequend. grat. &c.*

577 Ad 2. Q. conveniunt DD. delegationem personalem, seu quæ

personæ facta est ob illius industriam, aliãve ob causam, exspirare cum morte delegati, eoque subjectum, cui inhærebat, deficiat, & hinc ad alium, seu successorem non transit; secus verò realem, seu quæ dignitatî, vel officio concessa est; quia cum illa dignitas, seu officium, cui delegatio est facta, perpetua sit, non extinguitur morte delegati, sed transit ad successorem in eo officio, aut dignitate, & licet individua quotidie extinguantur, uno tamen defuncto, dignitas vaeat, & transit ad alium. Quare tota Q. difficultas ex eo pendet, undenam, & ex quibus conjecturis delegatio censenda sit personalis, vel realis. Ubi notandum est, triplici modo fieri posse delegationem. Primò expresso nomine delegati tantum, 2. Illo tacito, expresso tamen officio, & dignitate. 3. Expresso utroque, nomine scilicet proprio & dignitatis. Hoc notato.

R. 1. Si commissio expresso nomine proprio v. g. Petri, Pauli &c. fiat, tacita dignitate, regulariter censenda est commissio personalis, nisi ex circumstantiis, & subjectâ materia aliud manifestè desumi possit. Ita plerique cum Abb. in *C. quoniam 14. n. 4. Menoch lib. 1. q. 68. de arbitr. n. 21. Sanch. l. 8. D. 27. Palao l. c. §. 6. Bonac. D. 1. q. 3. p. 8.*

Ratio est; quia si solum nomen proprium delegati v. g. Petri, est expressum, censetur electa industria personæ nominatæ, eo ipso enim quòd solum nomen delegati expressum sit, & non officium, delegans satis explicuit suam voluntatem esse, ut ad alium non transeat, sed sit commissio personalis. Dixi nisi ex circumstantiis, & subjecta materia aliud colligatur; nam si verba, vel materia subjecta satis indicent, dispositionem esse personalem, ita erit censendum, etsi solius dignitatis delegati mentio fiat, v. g. si Papa committat causam Episcopo Madritano, solumque dignitatis nomen exprimat, declarans in literis se illi hoc committere ob peculiarem scientiæ, & sanctitatis notitiam, quam de illo habet; ex quibus verbis constat, non habitam esse dignitatis considerationem, sed personæ industriam electam fuisse, atque adeò commissionem esse personalem, & non realem. Sic si excommunicatus fuit Episcopus v. g. Moguntinus solo dignitatis nomine expresso, manifestum est ex subjecta materia Excommunicationem esse personalem, nec transire ad successorem. Et ratio est, quia una præsumptio tollit aliam, & major minorem, major autem, ac fortior est præsumptio, quæ ex ipsis verbis peculiaribus commissionis, & subjecta materia

sumitur, utpote quæ specialis, ac peculiaris est, quàm generalis desumpta ex proprii nominis, aut dignitatis expressione, ut notant citt. AA. cum Abb. *conf. 93. n. 1. & 2. Imola n. 8. Cov. l. 3. var. c. 15. Jo. And. reg. privilegium de reg. Jur. in 6.* aliisque.

R. 2. Si commissio, tacito proprio nomine delegati, facta sit sub nomine dignitatis, v. g. Episcopo Augustano, Decano hujus, vel illius Ecclesiæ Cathedralis &c. commissio est realis, & ad successorem transit; quia tunc commissio non est factæ personæ ratione illius, sed ratione dignitatis sibi inhærentis, quæ dignitas cum perpetua sit, ut dictum est, & ad successorem transeat, transit & commissio, uti expressè habetur *C. quoniam 14.* & tenent citt. DD. qui cum Panormit. in citt. *C. quoniam* Abb. n. 12. Menoch. n. 22. docent, hoc ipsum procedere, etiamsi res sit adhuc integrâ; quia integritas rei non immutat concessionem, quæ cum dignitati potius, quàm personæ facta sit, sicut dignitas non obstante rei integritate semper manet, & transit ad successorem; ita & illa cum hoc transit.

R. 3. Si in commissione exprimat nomen proprium delegati, & simul ejus dignitas in dubio reputanda est commissio personæ
mini

lis, & non realis, etsi nomen proprium fuerit postpositum nomini dignitatis, nisi tortè aliud ex aliis circumstantiis de mente delegantis constaret. Ita Imola in *C. quoniam*, n. 25. Flamin. l. 1. q. 11. n. 12. Salas *D. 20. de leg. Sect. 17.* Sanch. l. 8. *D. 27.* Gu-tier. *de matr. cap. 125. n. 1. & 9.* Palao l. c. Bonac. l. c. §. 1. & alii contra alios volentes, commissionem personalem esse, si præcedat nomen proprium delegati; realem verò si præcedat dignitatis nomen. Ratio est, quia cum nomen dignitatis generale sit ad omnes eâ fulgentes, nomen autem proprium sit speciale illius personæ nominatæ, illud per hoc restringitur, ut non excedat personam nominatam; nam quoties genus, & species in unius persona concurrunt, genus expositum per aliquam speciem restringitur ad illam, *C. 2. de rescript. C. statuto de crim. in 6.* & aliàs si additio nominis proprii commissionem non restringeret ad personam nominatim expressam, tunc additio nominis proprii esset frustranea, & inutilis, & confusionem causaret, & sic singula Rescripti verba non haberent semper suum effectum, & aliquid operarentur, quod est contra leg. *si quando, ff. de legat. 1.*

Conf. ex *C. quoniam Abbas de Offic. deleg. ubi declaratur quæ-*

nam sit commissio realis, & dicitur, illam esse, quæ *sub expressis nominibus locorum, & non personarum fit*: ergo à contrario, ubi sub expressis nominibus personarum fit commissio, non realis, sed personalis censenda est.

Limitat tamen Sanch. cum aliis, ut duntaxat intelligatur commissio esse personalis, nisi ex circumstantiis aliàs redderetur vel damnosa alteri, & injusta, vel inutilis; quia semper in casu dubio præsumendum est, delegantem non velle suam dispositionem injustam, vel inutilem esse, adeoque talem censendam esse, quæ, sive spectato nomine proprio, sive dignitatis, valida & utilis est, ita ut si talis sit spectato nomine personæ, sit personalis, si verò spectato nomine dignitatis, sit realis.

Ad 3. Q. utrum Ambrosius 579 eam commissionem expedire poterit, solutio pendet ex eo, an dignitas Vicarii Generalis Episcopi sit perpetua, adeoque hujus commissio transeat ad successorem. Ubi

Dignitatem Vicarii Generalis Episcopi non esse perpetuam defendunt Menochius l. 4. *presumpt.* 121. & l. 1. *de arbitr. q. 68. n. 24.* Flamin. *de resignat. l. 7. q. 24.* Sanch. l. c. n. 8. Palao l. c. §. 7. Barbof. *de potest. Episc. 2. p. alleg. 54.* Garcia,

cia, Mantic. aliique plures. Rationem dant, quia dignitas seu Officium Vicarii non est talis, quæ Successorem exposulet, cum Episcopus, amoto, vel mortuo Vicario, non teneatur alium substituere, sed pro libitu, & beneplacito suo possit alium substituere, vel non constituere, vel constitutum amovere pro sua libera voluntate, ut constat ex *cap. 1. & 2. de offic. Vicar. in 6. & Clement. 2. de rescript.* ergo Vicarius non est dignitas perpetua, sed ad arbitrium Episcopi terminabilis, ac temporanea; Unde Vicarii dignitas, quæ nulla alia est, quam jurisdictio ab Episcopo delegata, perit Vicario mortuo, vel ab officio remoto, & quando alius loco defuncti assumitur, non debet dici subrogari in eadem prorsus dignitate, sed in alia simili, ita ut iste de novo creetur, non autem subrogetur ut propriè Successor. Quod

Conf. ex eo; quia si Vicarius haberet propriè successorem, diceretur vacare per mortem, & ea dignitas esset necessariò perpetua in Ecclesia, & consequenter non penderet ex libera Episcopi voluntate constituere Vicarium, sed teneretur eum creare, quod repugnat citatis supra capit. & aliàs si non constitueret, elapso legitimo termino potestas creandi devolveretur ad Papam, *C. 2. de consuet. in 6. ex*

quibus haud obscure sequitur, Commissiones factas Vicario Episcopi, etiam sub nomine dignitatis, de rigore Juris tantum personales esse, quia ejus dignitas personalis est, & non perpetua, adeoque ad successorem non transit.

Nihilominus, licet spectato juris rigore res ita se habeat, attendita tamen consuetudine, & Stylo Curiae Commissiones factæ Vicario Generali sub nomine Officii, & dignitatis juxta communem DD. transeunt in Vicariatu ad Successorem. Ratio est praxis, & quia meritò id præsumitur de mente Pontificis rescribentis, quòd scilicet nolit cum maximo incommodo suo, & partium, has, postquam Rescriptum impetrarunt ad Vicarium Episcopi, hoc mortuo compellere ad redeundum Romam pro novo Rescripto non sine magnis expensis impetrando; & licet hæc Vicarii dignitas non sit perpetua, perpetua tamen, & continua reputatur, eò quòd decedenti, vel amoto Vicario, alius, aliisque substituatur, & Episcopi vices in se suscipiat.

Ex quibus colligitur, Ambrosium successorem defuncti Vicarii Generalis Episcopi A. potuisse commissionem Pontificiam illi ante mortem factam executioni mandare, & Juvenalem mittere in possessionem Beneficii.

Ad

581 Ad 4. Q. An commissiones factas Vicario Generali Episcopi, eo mortuo, vel amoto possit ipsemet Episcopus executioni mandare? R. negativè cum Navar. l. 1. *Consil. in 2. edit. de offic. deleg. cons. 5. n. 4.* Sanch. l. c. n. 29. Palao l. c. n. 7. Bonac. l. c. n. 12. aliisque communiter.

Ratio est; tum quia dum Vicario commissæ est executio, ejus dignitas, & Officium habet rationem conditionis, sine qua non, seu qualitatis requisitæ: tum quia Episcopus non est Vicarius, neque dignitas Episcopi est dignitas Vicariatus, sed omninò distincta, ac diversa, ut constat ex cap. *Venerabilibus, in princ. de sent. Excommuni, in 6.*

Neque obstat, quòd idem Tribunal, & Jurisdictio sit utriusque; quia Episcopi & Vicarii est quidem idem Tribunal, sed in iis duntaxat, quæ Vicario competunt ex commissione Episcopi, & jure ordinario, non autem quæ ei competunt ex commissione, & delegatione Pontificis.

Ad alterum Q. membrum, an Vicarius Capituli, sede vacante, veniat intelligendus nomine Vicarii Episcopalis, atque adeò commissiones factas Vicario Episcopi, hoc mortuo, possit expedire Vicarius Capituli, controversum satis est inter DD. Affir-
R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

mant Sanch. l. c. n. 10. 32. 33. Salas D. 20. de leg. Sect. 17. Card. q. 13. n. 15. Imola, Zech. aliisque; quia Capitulum sede vacante succedit non Vicario Episcopi, sed ipsimet Episcopo; at Vicarius Capituli succedit in dignitate Vicarii Episcopi, ideòque Vicarius Capituli sede vacante dici potest Vicarius Episcopi, seu Vicarius jurisdictionis Episcopalis, vel ut ait Gloss. *Clement. 2. V. Episcopi de Rescript.* Vicarius habentis jurisdictionem Episcopalem.

Negativam tenent Palao l. c. n. 11. Garcia 6. p. de Benef. cap. 2. n. 41. Fel. C. eam te n. 17. Bonac. l. c. n. 7. & 8. aliisque. Movenitur, tum quia Vicarius Capituli non est propriè, & in rigore Vicarius Episcopi; tum quia Capitulum sede vacante non potest expedire commissiones factas Vicario Episcopi, ut docent etiam affirmativæ sententiæ Patroni, ergo multò minùs poterit eas expedire Vicarius, seu Officialis Capituli juxta regul. 79. de reg. jur. in 6. nemo potest plus juris in alium transferre, quàm sibi competere dignoscatur. Et huic sententiæ favere Stylum Curia ajunt, loquendo saltè de Rescriptis, quæ dantur in forma *dignum*.

Unde alii faciunt discrimen inter commissiones, quarum executio ex Juris dispositione, vel Stylo Curia solis Episcopis, & eorum

Kk k k

eorum

eorum Vicariis committitur, & inter illas, quæ aliis quoque in dignitate constitutis, & à parte nominatis committi solent, & harum executionem à Vicario Episcopi ad Vicarium Capituli transire concedunt; non verò illarum, idque propterea, quod posteriores vacante sede soleant à Curia committi Vicario Capituli; priores verò viciniori Episcopo.

§82 Ex his sententiis probabilibus præplacet prior affirmativa; tum ob allatas supra pro eadem rationes; tum quia in dubio & hinc videtur id præsumi posse de mente Pontificis, ne passim Rescripta Vicariis Episcoporum commissa pereant, & ne sumptus in novis Rescriptis impetrandis multiplicen-

tur non sine suo, & partium gravi incommodo, quæ iterum Romam redire compellerentur ad nova Rescripta impetranda, prout utraque pars supra discurret de Vicarii defuncti successore. Nec obstat citt. regula, *nemo potest plus juris &c.* aliàs enim nec Vicarius Episcopi posset de illa causa cognoscere, cum nequeat ipse Episcopus, qui illum constituit, ut dictum est supra. Capitulum ergo, uti & Episcopus, non transfert jurisdictionem delegatam de ea causa cognoscendi in Vicarium, sed constituit duntaxat Vicarium, qui eo ipso quod sit constitutus Vicarius, potest eam commissionem exequi virtute Rescripti Apostolici Vicario id committentis.

